Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

196

blasphematoribus. ut omnes celum fiant. Sequitur. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. Potest simpliciter accipi. orationem nos istam fundere pro uictu cottidiano. ut abundet nobis. et si non abundat. non desit nobis. Cottidianum autem dixit. quamdiu hodie uocatur cottidie uiuimus. cottidie surgimus. cottidie saturamur. cottidie esurimus. Det nobis panem cottidianum. Quare non dixit et tegumentum. In uestitu et uictu nichil hoc plus desiderat. quando quidem dicit apostolus. Nichil intulimus in hunc mundum. sed nec auferre aliquid possumus. uictum et tegumentum habentes. his contenti simus. Pereat auaricia. diuites esse nati. Ergo si ad cottidianum uictum pertinet. quia et hoc bene intelligitur. quod dicimus panem nostrum cottidianum da nobis hodie. non miremur si nominato pane cetera necessaria intelligantur. Quomodo. Quando ioseph inuitauit fratres suos. homines inquit illi hodie mecum manducabunt panem. Quare panem solum manducaturi erant. Sed a solo pane intellecta sunt cetera. Sic quando rogamus panem cottidianum. quicquid nobis propter carnem nostram intra necessarium est postulamus. Sed quid ait dominus deus. Querite primum regnum et iusticiam dei. et hec omnia apponentur uobis. Intelligitur etiam hoc ualde bene. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. eucharistiam cottidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant. et bonum est eis accipere panem cottidianum. huic tempori necessarium. Pro se rogant ut boni fiant. ut in bonitate et fide et uita bona perseuerent. Hoc optant. hoc orant. quia qui non perseuerant in uita bona. separabuntur ab illo pane. Ergo panem nostrum cottidianum. da nobis hodie. Quid est. Sic uiuamus. ut ab altari tuo non separemur. Et uerbum dei quod cottidie nobis aperitur. et quodammodo frangitur. panis cot